

12

# ANDREAS COMES DE LESZNO

DEI ET S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS  
LEGATVS NATVS, REGNI POLONIÆ PRIMAS PRIMVSQ; PRINCEPS.

Vniuerso Clero & Populo Archidiœcesis nostræ Gnesnē Salutem in Domino.



*Astigans castigauit nos Dominus & morti non tradidit nos, sed secundum misericordiam suam magnam cum nos consumptos putabamus, oriebatur semper ut Lucifer. Infatuauit consilia querentium animas nostras, & operatus est nobis salutem ex inimicis nostris, ac de manu omnium qui oderunt nos. Verum tamen non recessit à nobis virga furoris eius, humiliamurq; adhuc sub potenti manu eius. Incubuit nobis vastus Aquilo, & per decumanos fluctus quassatis, noua ab integro ingruunt tempestates. Coniungunt aduersum nos gentes, quæ non nouerunt nos, ac Orbe toto quaritur interitus noster; circumsteteruntq; Nos undique pro hac vinea Domini cura ingentes, quibus excita Pastoralis sollicitudo Nostra euigilare facit vniuersum sibi commissum gregem, omnesq; non hortatur modò, sed obtestatur, ac urget, ut nunc si quando omni cordium animarumq; contentione curramus ad DEVM Susceptorem nostrum, ploremus ante faciem eius, in cuius manu sunt omnes fines terræ, & tanquam populus eius & oves pascuæ eius affusi scabello pedum eius, deprecantes quæcunque iniquè gessimus & peccauimus cum Patribus nostris, obsecremus Adiutorem nostrum, ut non auertat faciem suam à Templi sanctis suis, & nos non tradat in animas inimicorum nostrorum. Atque quemadmodum Anno superiore fecimus, ita & nunc pro salute publica longè iam vehementius solliciti compellamus Perillustres, Reuerendissimos, & Admodum Reuerendos Dominos Nostra Metropolitana Ecclesiæ & quarumvis Collegiatarum Pralatos & Canonicos, Abbates, Parochialium Rectores, Conuentualium cuiusvis Ordinis Religionis & Instituti Superiores, paternèq; omnes requirimus, ut quæ antea deprecanda pro publicis necessitatibus Diuine maiestati decreuimus, ea nunc renovato mentis studio & contentione ex integro reassumant. Ac imprimis quidem Illustres & Admodum Reuerendi Officiales Nostræ ubi primum presentes ad manus eorum peruenerint, statim Orationem Quadraginta horarum locis idoneis, & ubi Clerus Populusq; est frequentior pro necessitatibus Regni decernent ac indicent, eamq; deinceps semel quouis Mense haberi continuariq; curabunt. Porro singulis Ferijs Secundis horâ destinatâ & signo campana dato Missam Votiuam tempore belli cum Collecta pro vniuerso Exercitu Defendè quæsumus celebrare, eaq; finitâ benedictionem cum Versu Saluum fac imperari omnes Ecclesiarum Rectores ac Superiores curabunt atque prout hæcenus fiebat tenebuntur. Deinde quoniam Angeli percipientis nondum planè cessauit manus, ideo Quartis singulis Ferijs aliam Missam Votiuam pro auerenda Peste, dato perinde campanæ signo, cum Versu Saluum fac, & simili benedictione celebrabunt. Quas etiam Quartas Ferijs omnes abstinento à Lacticinijs ieiunabunt. Ferijs autem Sextis Processiones Supplicationesq; cum Litanijs de Omnibus Sanctis, & ubi locorum deuotèq; plebis tulerit ratio cum Disciplinis ad vicinam quampiam Ecclesiam, aut in eius defectu circa templi ambitum instituent. Denique Sabbatis diebus auxilium Matris Misericordiæ Desparæ Virginis implorabunt, Votiuam de eadem celebrando, ac Litanias cum Prosa Stella cœli ubi id commode fieri potest decantando, orandoq; ut per hanc Benedicendam Inuentricem gratia & Genitricem vitæ accessum ad Filium eius habeamus, præpotentiq; suo patrociniò misericordiam consequamur in die tribulationis nostræ. Cõdicatoribus autem mandamus, quatenus singulis diebus Dominicis, & Festis ad populum celebribus, finitâ Concione, Christi fideles, accommodatis ad id sermonibus, ad penitentiam, præsertim verò peccatorum, per Confessiones Sacramentales expiationem, orationes, ieiunia, elemosinas, aliq; pietatis opera exhortentur. Qui quidem Processus Nostræ, ut ad omnium deueniat notitiam, eundem ad præfatos DD. Officiales Nostræ transmitti, volumus; qui per Decanatus cuiusvis Territorij, eundem solitâ cursoriâ transportari procurabunt. In cuius rei fidem presentes manu Nostrâ subscriptas sigillo Nostrò communitari mandauimus. Dat. Varsovia die 10 Mensis Martij Anno Domini Milleesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Quarto.*

10/3/60

ANDREAS COMES DE LESZNO  
DEI ET R. SEDIS APOSTOLICE  
LEGATUS NATVS. REGNI POLONIE

Archid. Gero & Populo Archid. Gero

[Faint, mostly illegible text in Latin script, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs across both pages.]

